Kotyński Joannis Auspex belli Moschovitici.

AVSPEX
Belli Moſchouitici
A
VLADISLAO
QVARTO

Potentiſsimo Poloniarum REGE *ſuſcepti, Clariſsimo ac Excellentiſsimo Viro Dño,*

D. M. IACOBO VITELLIO Canonico ad S. Annã: Collegæ Maiori: Eloquentiæ Tylicianæ Profeſsori. &c.

Per

IOANNEM KOTYNSKI. Alm. Acad. Crac. Studioſum, Lyræ cantu euocatus, & Xenii nomine propoſitus.

CRACOVIÆ, In Officina Antonii Wośinſki, Anno Domini, 1634.

Prophasis.

QVam omnes optimarum artium cultores ex puluerulento laborioſæ Palladis ſtadio in lucem oculosq; hominũ egreſſuri, apud ampliſſimos literarum Mæcenates gratiã humanitatemq; ſibi pollicentur: eam ego Clariſſime & Excellentiſſime Domine Tyro licet, & magis recenti doctiſſimorum virorum exemplo, quàm gloriâ atq; commendatione ingenii excitatus, cum tibi laborẽ meum æſtimatione quidem paruum, ſed ardore animi maximum adfero, benignos fauores tuos ſolitamq; humanitatem inde me relaturum confido. Perſtringit quidem oculos mentemq; meam eruditionis Tuæ reconditioris maieſtas, operis verò exiguitas in celebrem ſapientiſſimorum virorum conſpectum prodire reformidat, ſed minimo cuiuis etiam probè nota perſpectaq; Tua humanitas non dubios, operæ huic meæ, beneuolentiæ promittit fauonios. Cui enim rectiùs à me debebatur hoc qualecunq; lucubrationis opus, quam tibi, cuius ſemper magnum in me expertus ſum amorem, & in docendo fidelitatem: qui ita doctrinarum nobilitate flores, vt Academiam bonarum artium altricem nobiliſſimam, non ſolum apud præſens, ſed etiam futurum commendes ſeculum; ita eximio virtutum ſplendore præluces, vt cum pridẽ vixeris, in ſera victurus poſteritate, viuere quotidiè incipias. Præliba igitur ſerenâ fronte Tua exiguum hoc, quia laboris mei; ſummum, quia Regis Inuictiſſimi, primũ obſeruantiæ in te meæ argumentum, & me dignitati Tuæ maiora meditantẽ benignis fauoribus complectere.

ODE.

MAgne Rex Magni domitor Trionis
Vltor Europæ: Tibi ſupplicâſse
Gaudet Arcturus, manibusq; credit
Fræna Polonis.

Cynthiam Phæbus pede dat premendam,
Illa conceſso radians Pyropo
Aliti magni Iouis ima gratæ
Cornua pandit.

En vt ignauis Helice pruinis
Vincta captiuo Tibi ſeruit Aſtro!
Et triumphalem cupiat Bootes
Ducere currum.

Mille Te cinctus iaculis Gelonus
Horret, ac vultu gelidum retorto
Puluerem lambit, tremuloq; nomen
Poplite adorat.

Castra Threissis furiosa signis
Marte sternuntur Lechico; rebellis
Parthus, (ô scenam!) iacuit nitratâ
Nocte sepultus.

Hactenus Cressis validus pharetris
Et venenatâ grauior sagittâ
Corde periuro stolidas Sicamber
Coxerat iras:

Nunc superiectis trepidi timoris
Stringitur nodis, vbi victa tela,
Et putri tabo rubuisse vastum
Aspicit Istrum.

Impios belli dolet acris ausus
Martis incerti rabiemq; culpat,
Cum subit vanâ Lechiæ paratam
Arte ruinam.

Colla ferali redimit Cupresso
Et graues serò renouat querelas,
Vera pro fictis simulans relati
Signa pudoris.

Hosticas

Hoſticas rident Aquilæ ſariſſas
Lechicæ; terret validum Tyranni
Nil furor Martem; licet arma foſſo
Eruat Orco.

Ferreas Moſchus ſtatuat phalangas,
Aggeres ducat tumulandus altos;
Sentiet tandem vigili Polonum
Te duce ferrum.

Dum furit cæco crepitans tumultu
Sudus in colles Aquilo cauatos
Nonnè iam flabro inualidus tepenti
Sibilat Eurus?

Vt Vago fruſtra reboat ſuſurro
Caurus explorans maris antra, damnat
Hiſpidas ſurdâ quoties procellas
Nereus aure.

Sic ferox acres lituos laceſſit
Moſchus, ereptis feriendus haſtis,
Viribus noſtras validis paratus
Frangere vires.

Stans velut fuſcis inimica nimbis
Iſmari rupes, titubante noſter
Hoſte REX Victor numerat recentes
Enſe triumphos.

REX Trionali metuende cœlo
Inter inuictos numerande quondam
Lechidûm Reges! Lechici perennis
Gloria ſceptri!

Inclyti firmum columen ſenatus,
Cracici primum columen Lycæi,
Gratius Phæbi radiis Polono
Sydus olympo.

Turbinum triſti ſenio grauatæ
Perditam reddens Aquilæ iuuentam
Sêcla Tu demum meliore ſignas
Noſtra metallo.

Iam pauor noſtris ſiluit moleſtus
Partibus, vultu volucris ſereno
Verſa ſors ſpondet meliora priſcis
Gaudia votis.

Innocens toto dominatur orbe
Lechico plausus, tria Gratiarum
Ora coniungens niueo reportat
Gloria curru.

Molibus cælo tumidus propinquis
Hostis eiectus, iuga montiumq;
Capta; quod ducit grauius, relictis
Cæditur armis.

Succidit durâ haud aliter bipenni
Montibus celsis abies recisa,
Rapta vel currunt pluuiæ niuosis
Stagna pruinis.

Spumei rubro lacrymantur amnes
Accolas planctu miserè peremptos,
Lata iam pridem maduêre viso
Arua cruore.

Balneo Mauors rubet insolenti,
Pascitur suaui Libitina ferclo
Lætus ad Lethen stygiæ moratur
Portitor vndæ.

Turpe

Turpe desertos putrefit per agros
Lemniæ monstrum chalybis cadauer
Inq; nostrates iterum rebellem
Lampada torquet.

Martiis passim latitant vorandæ
Hinc lupis prædæ; tumulantur illinc
Cara probrosis specubus caduco
Pabula vermi.

Funerum surgunt memores acerui
Fœderis rupti malè, perfidiq;
Martis vltores, totidem futuro
Symbola sêclo.

Ora non vanum Latialis omen
Cæpit ex parui tumulo catelli
Iusta quàm contra Arsacias moueret
Bella cateruas.

Anxiæ Castor fuit omen vrbi
Omen & Pollux, equites togato
Ante non visi populo, & triumphi
Signa futuri.

Dextra sed dextrum Tua pollicetur
Exitum ciui meliùs Polono:
Quæ diu ferro satis vsa, sceptri
Exerit aurum.

Aleam versent licet & sinistra
Sæpè Bellonæ, teneantq; fata:
It tamen forti superûm triumphans
Numine mucro.

Scilicet iustâ famulante maior
Dexterâ Mauors clypeoq; crescit;
Fortium ferro citius coruscat
Gloria Regum.

Marte bellatrix periit sagato
Roma: Cadmææ cecidêre Thebæ
Marte: funestas Priamêia sensit
Troia fauillas.

Moscuæ nostro Furor ense fractus
Ipse felices numerabit annos?
Ipse non tradi rapidis dolebit
Pergama flammis?

In nouos creſcens rediuiua vultus
Hydra Lernæam reparet cateruam,
Millies fætâ generet recentes
Fronte colubros.

Rupe monſtroſum eiiciente partum
Matre Buſiris genitus: feroq́;
Caucaſi ſucco madidus cruentas
Excitet aras.

En venenatam Lechicus reſumptâ
Hercules Hydram iugulare clauâ
VLADSLAVS pergit, Mareoticoſq́;
Conterit enſes.

Eia REX preſſum metuendus hoſtem
Opprime, auguſtos gemina triumphos,
Sors fauet ſceptris, fauet ipſe pigræ
Arbiter vrſæ.

Diua Te Magni genitrix Tonantis
Virgo Phæbæum ſuperans nitorem
Roboret, vireſq; trucem valentes
Armet in hoſtem.

Lechici claræ Imperii lucernæ
Dulce Patroni decus, ô colendi
Semper & culti Tua, quod precamur,
Vota ſecundent.

Craciæ Præſul rigido Tyranni
Enſe conciſus, precibus rogatam
Porrigat dextram populi; ſerumq́;
Sternat agema.

Tu ſimul Gneznæ veteris Patrone
Lanceis ſeptem, furiis Boruſſi
Foſſe, placatus bona bella caſtris
Poſce Polonis.

Cracidûm viuax Academiæq́;
Splendor, auguſtam geminare Canti
Perge fortunam, Lechicosq́; cœlo
Scribe triumphos.

Omnibus palmas referat paratas,
Integer victo rediens Tyranno
Hauriat plauſus, ſacra vinciatq́;
Tempora lauro.

Te ſuis Arctos meritum Corymbis
Victa, Rex, donet, Dominumq; noſcat,
Morte venalem tibi læta nectit
Patria quercum.

Vitrei riuus Tibi diues Hermi
Prodigus laudes tibi fundet Arnus,
Nec Thetis virgo premet iſta muto
Ore trophæa.

Sol vbi primum reſupinus ortum
Aſpicit, glaucos vel vbi Beryllos
Fundit, aut pulchro viduat ſerenos
Lumine cyclos.

Fæta pennatis volitans quadrigis
Fama rumorum Tua geſta dicet,
Enſis Orator Tua ſcribet albis
Nomina faſtis.

Docta diſiunctas peragrare gentes,
Docta victrices reſerare lauros,
Te vehet curru celeri per omnem
Gloria mundum.

FINIS.